VIRO PERILLUSTRI

JOHANNI FRIDERICO BLUMENBACH

MEDICINAE DOCTORI ET IN ACADEMIA GEORGIA AUGUSTA PROFESSORI PRIMARIO
REGI MAGNAE BRITTANNIAE A CONSILIIS MEDICINALIBUS PRINCIPE LOCO
ORDINIS GUELPHORUM EQUITI
CAET.

SOLEMNIUM

QUIBUS ANTE HOS QUINQUAGINTA ANNOS SUMMOS IN MEDICINA

HONORES ADEPTUS EST

INSTAURATIONEM

G R A T U L A T U R

ACADEMIA REGIOMONTANA

INTERPRETE

CAROLO FRIDERICO BURDACH

FACULTATIS MEDICAE SENIORE ET PROFESSORE PRIMARIO.

REGIOMONTI MDCCCXXV,

T Y P I S   A C A D E M I C I S   H A R T U N G I A N I S.

Animus noster, qui omni quod in rebus humanis occurrit eximio commovetur, non sine delectatione quadam homines a fortuna mire adiutos et exornatos conspicit; altius extollitur rerum praeclare gestarum contemplatione; in rarum vero aequalis et felicitatis et meritorum amplitudinis exemplum intuens, severiori gaudio afficitur atque omnino expletur.

Quale consortium cum in *Tuis* rebus, *Vir venerabilis!* egregie sit conspicuum, et nobis est festus, qui iam *Tibi* celebratur dies. Singulari numinis supremi beneficio insignibus animi et

corporis viribus instructus, prosperrima sorte in amplissima societate literaria collocatus, et largissima scientiae augendae subsidia nactus, senectutem attigisti et laetissimam et honoratissimam. Intentis viribus scientiae promovendae et amplificandae incubuisti, neque defessus studio aut viribus per integrum saeculi dimidium rerum naturam scrutatus, amplissimum literarum studium prosecutus, et praeclarissimam doctrinam professus es.

Reputantes nobiscum in hac solemnitate numerosam meritorum *Tuorum* seriem, dubii haeremus, cuius iam inprimis meminerimus; exhauriendis enim laudibus *Tuis* impares sumus. Cum ex pluribus argumentis unum sit eligendum, id commemorare placet, cuius ipsa vox *Te* atque doctrinam Tuam praedicat, scilicet nisum formativum.

Uti duplex est hominum genus, quorum alterum rerum superficiei inhaerens et praesenti temporis momento addictum, nil nisi singula sensibus percipienda et externas rationes curat, alterum altiora petens in interiora penetrare, originem attingere atque veram

rerum causam intelligentia comprehendere conatur, ita quoque naturae curiosi bifariam secedunt. Sunt qui nonnisi materiam noverint, in singulis haereant, vicissitudinem omnem ex mechanicis rationibus repetant, et ad calculum revocent, id quod accidit ex alio accidente explicent, omnem denique naturam ceu facti ac finiti quid contemplentur. Alii contra omnem mundum perpetuo fieri, neque naturam unquam subsistere autumantes, rerum cunctarum principium in infinito, universo et absoluto quaerunt, et altiores eorum quae sensibus percipiuntur, fontes attingere student.

Hoc animorum dissidium, quod antiquissimis iam temporibus extitit, neque unquam plane componetur, praesertim in doctrina de generatione sese prodidit. Antiqui philosophi naturam opificem cognoverunt quidem, sed magis praesagio attigerunt, quam iusta rerum cognitione explanarunt ac demonstrarunt. Neque defuerunt ulli aevo singuli physiologi, qui vim formatricem per universam naturam commeantem cogitatione comprehenderunt; sed extitere singuli, communis suffragii expertes. Simulac enim compages aut efficacia corporum quaedam, quae hucusque latuerat, innotuit, inventi

ciens duntaxat instrumentale, rerum omnium creatori sive progenitori summo subserviens. Quoniam in pulli fabrica ars et providentia non minus elucescunt, quam in hominis ac totius mundi creatione, necesse est fateamur, in generatione hominis causam efficientem ipso homine superiorem et praestantiorem dari, vel facultatem vegetativam multo excellentiorem et diviniorem esse, magisque similitudinem Dei referre, quam partem eius rationalem. Rem igitur recte pieque reputaverit, qui rerum omnium generationem ab eodem illo aeterno atque omnipotente numine deduxerit, cujus nutu rerum ipsarum universitas dependet. Nec magnopere litigandum censeo, quo nomine primum hoc agens compellandum aut venerandum veniat, sive Deus, sive natura naturans, sive anima mundi appelletur."

Verum etiam mentem nostram agitat iste nisus formativus, nosque impellit, ut rerum imagines in nobismet fingamus. Praeclarus Harveus, quem toto animo amplectimur atque veneramur, phantasiam in cerebro efficacem vi plasticae quae utero insita est aequiparavit. „Functiones utriusque organi conceptiones dicuntur, suntque ambae immateriales, licet principia sint omnium totius corporis

actio-

actionum: hoc omnium quae ad animalis generationem attinent, illud vero omnium quae ad conservationem eius peraguntur causa prima et principium. Quemadmodum a conceptione formae sive ideae in cerebro similem ei in operibus nostris efficimus, ita pariter idea aut species genitoris in utero existens formatricis facultatis ope similem foetum generat, 'dum speciem nempe, quam habet immaterialem, operi suo imponit. Non aliter sane quam ars, quae in cerebro est, *εἶδος* sive species operis futuri similem in agendo profert et in materia gignit. Sic enim pictor mediante conceptu faciem exprimit, imitandoque internum cerebri conceptum in actum producit. Quod disciplina in cerebro efficit, nempe artem, analogum eius vis maris in utero praestat, nimirum artem plasticam."

Per nisum formativum aeternitatem assequimur. Jam cum ille aut in procreanda sobole, aut in formandis notionibus et ideis versetur, duplex est nobis ad aeternitatem via parata, monente divino Platone. *Οἱ μὲν οὖν ἐγκύμονες κατὰ σώματα ὄντες, πρὸς τὰς γυναῖκας μᾶλλον τρέπονται, καὶ ταύτῃ ἐρωτικοί εἰσι, διὰ παιδογονίας ἀθανασίαν καὶ μνήμην καὶ εὐδαιμονίαν, ὡς*

οἴονται, αὑτοῖς εἰς τὸν ἔπειτα χρόνον πάντα ποριζόμενοι· οἱ δὲ κατὰ τὴν ψυχήν. εἰσὶ γὰρ οὖν, οἳ καὶ ἐν ταῖς ψυχαῖς κυοῦσιν ἔτι μᾶλλον ἢ ἐν τοῖς σώμασιν, ἃ ψυχῇ προσήκει καὶ κυῆσαι καὶ κυεῖν. ἐνθυμηθεὶς ὡς δεινῶς διάκεινται ἔρωτι τοῦ ὀνομαστοὶ γενέσθαι, καὶ κλέος εἰς τὸν ἀεὶ χρόνον ἀθάνατον καταθέσθαι· καὶ ὑπὲρ τούτου κινδύνους τε κινδυνεύειν ἕτοιμοι εἰσὶ πάντες, μᾶλλον ἢ ὑπὲρ τῶν παίδων, καὶ χρήματ' ἀναλίσκειν, καὶ πόνους πονεῖν οὑστινασοῦν, καὶ ὑπεραποθνήσκειν. ὑπὲρ ἀρετῆς ἀθανάτου καὶ τοιαύτης δόξης εὐκλεοῦς πάντα ποιοῦσιν, τοῦ γὰρ ἀθανάτου ἐρῶσιν.

Nobilior hic nisus formativus in *Te, Vir venerabilis!* egregie valuit, atque immortalem progeniem *Tibi* paravit. Nullus est inter aequales nostros naturae scrutator, qui non a *Te* didicerit; nulla est orbis terrarum ora, ad quam nominis *Tui* celebritas non pervenerit; nullum denique erit aevum, incrementi, quod *Tua* opera scientia cepit, immemor. Hinc non solum *Tibi* Tuisque amicis, non solum celeberrimae Georgiae Augustae, sed cuncto orbi literato festus est dies, quo doctoratus Tui solemnia

post quinquaginta annos repetuntur. Gratulamur *Tibi* et Academiae inclytae, in cujus decoribus es, huncce diem, atque ut felicitate, quam virtus Tua meruit, diu adhuc fruaris, in votis habemus sincerrimis.

